



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Interdictum I. quantu[m] ad suam essentiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

INTERDICTVM I.

Quantum ad suam essentiam.

- A **I**NTERDICTVM est censura Ecclesiastica qua actiue & passiuè prohibentur diuina officia, Sacramenta & sepultura, quibusdam exceptis. c. 27. num. 164.
- B Est autem triplex, Locale tantum, Personale tantum, Locale & Personale simul. Locale tantum est quando solus locus interdicitur. Et hoc iterum est duplex, generale quod interdicitur locus vniuersalis, vt regnū, prouincia, Episcopatus, ciuitas, oppidum, pagus, parochia: & speciale quando interdicitur aliquis locus particularis, vt Ecclesia: nec definit esse speciale etiam comprehendens multa loca, dummodo sint particularia, vt quando interdiciuntur Ecclesie multæ, quamuis sint omnes ciuitatis, Episcopatus, prouinciæ, regni, vel quotquot sunt in mundo. Personale tantum est quod interdicit personas tantum: & est duplex, scilicet generale, quod interdicit aliquam vniuersitatem hominum, vt populi, regni, prouinciæ, ciuitatis, oppidi, collegij &c. & speciale quod interdicit personas singulares, vnas, vel multas, certas, vel incertas. Locale & personale

personale simul est, *quod interdicit locum, & personas simul.* Præterea interdictum potest esse simplex vel mixtum, hoc est, generale tantum, particulare tantum, generale, aut particulare simul. cap. 27. num. 166. At vero interdictum generale loci non includit populum, nec personas eius, nec generale populi alicuius loci, comprehendit eum locum. num. 167.

Interdicitum fortius est cessatione. n. 189.

Interdicitum, Excommunicatio, & Suspendio in nouem conueniunt. I. Quod quælibet earum est censura Ecclesie. II. Quod quælibet debet ferri in scriptis. III. Quod nullam earum suspendit appellatio subsequuta, & quamlibet annullat præcedens. IV. Quod quamlibet debet præcedere monitio, cum fertur in contumaciam, & non cum in penam. V. Quod quælibet est nulla, cum fertur sine canonica monitione ab excommunicatore contra participantes cum excommunicatis à se. VI. Quælibet suspendit à diuinis, excepta suspensione quæ non fit ab eis. VII. Quod in absolutione omnium remittitur. VIII. Quod nulla earum ferri potest ab Ordinario contra exceptos filios speciales Papæ. IX. Quod quælibet est à Superiore seruanda. imò & à ferente donec eam nullat. c. 27. num. 164. 165.

C c

Differunt

F Differunt autem in septem. I. Quòd excommunicatio directè priuat communicatione, quatenus est humana. Suspendio priuat directè vsu facultatis Ecclesiastica. Interdictum priuat directè Sacramentis, & diuinis officiis. Nihilominus quaelibet indirectè, & per consequentiam priuat etiam consequentibus directè prohibita. I I. Non potest excommunicatio suspendi, alia verò sic: imò idem est de excommunicatione. I I I. Quòd Episcopus non incurrit suspensionem, nec interdictum latum à iure, nisi exprimat in eo, excommunicationem verò sic. I V. Quòd vniuersitas, non potest excommunicari, sed solùm suspendi, & interdici. V. Quòd excommunicati numquam admittuntur ad diuina officia: alij verò sic interdum. V I. Quòd excommunicatio, & suspensio tantùm inferuntur ob culpā propriam, & excommunicatio maior ob mortalem, & minor & suspensio etiam ob venialem: interdictum verò etiam ob alienam. V I I. Quòd absolutio excommunicationis semper requirit aliqua verba: suspensionis verò & interdicti non, quando inferuntur, donec quid certum fiat. sufficit enim, quòd illud fiat. num. 165.

INTE